

quorum hæc sententia & verba sunt, quemadmo-
dum extant apud Augustin. in Actis contra Ma-
ximum Ariānum, Est officium Angeli, vt ani-
mam restituat ante conspectum Domini, non ta-
men anima potest Angelum videre, & exhibere:
Angelus autem animas nostras spirituales videre
& penetrare potest. Quam sententiam nunc Pa-
pistę retinent, & tuentur. Sed de hac hæresi satis.

CAP. XL.

Apostolici hæretici, quorum erroris hęc duo
capita recensentur.

Apostolici qui se isto nomine arrogantissi-
mè vocauerunt, eò quòd in suam commu-
nionem non reciperent vtentes coniugibus,
& res proprias possidentes, quales habet
catholica Ecclesia & Monachos, & clericos pluri-
mos. Sed ideò isti hæretici sunt, quoniam se ab Ec-
clesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui
vtuntur iis rebus, quibus ipsi carent. Encratitis isti si-
miles sunt. Nam & Apotactita appellantur. Sed alia
nescio quæ propria hæretica docere perhibentur.

(I. Apostolici.) Ἀποστολικῶν Ἀποστόλων dictos esse A-
postolicos, quorum vitam & sanctitatem imitari
videntur velle, nemo dubitare potest qui vel pri-
mis labris Græcām linguam degustarit. Appellan-
tur autem iidem Apotactitæ à Latinis: à Græcis
autem authoribus Ἀποτακτικοί, quasi qui huic mun-
do prorsus renunciarent. Fuerunt autem procul-
dubio stirpis Encratitarum siue Tacianorum in-
felix propago & amara fruticatio, quæ suas & ipsa